



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 58. Quorumdam Sorbonæ Doctorum ausus magis temerarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII. „Magistros omnes, Doctores, Bacc  
 A. C. 1716. „laureos, aliosque quocunque nomine  
 „nuncupatos supradictæ Facultatis Al  
 „umnos, qui prædictæ Constitutioni  
 „nostræ debitam obedientiam præstite  
 „runt, aut in futurum præstiterint, præ  
 „senti gratiarum, & Privilegiorum sus  
 „pensione minime affici volumus, per  
 „inde acsi quoad illos eædem præsentis  
 „literæ prorsus non emanassent. Quibus  
 „nimo eosdem, ut veros obedientiæ  
 „Filiis, ac Germanos egregiæ Facul  
 „tatis Alumnos paternæ charitatis sus  
 „tinu complectentes hortamur in Do  
 „mino, ut Apostolicum illud sedulo cogi  
 „tantes: *Si quod patimini propter justitiam, beati:* in suscepto tuendæ sanctæ  
 „Doctrinæ proposito gloriosa stabilitate  
 „perseverent: quodque vere Christiani  
 „Doctoris est, eos, qui contradicunt,  
 „arguere pro tradita sibi a Domino Sa  
 „pientia non vereantur; certi, divinam  
 „sibi retributionem, atque hujus sanctæ  
 „Sedis protectionem & gratiam minime  
 „de futuram.

## §. LVIII.

*Quorundam Sorbonæ Doctorum al  
 sus magis temerarii.*

Verum Refractarii Doctores perinde  
 acsi hæ Pontificis literæ eos non  
 respici



respicerent, Constitutionem ore & ca-  
 lamo impugnabant, quoniam vero Ra-  
 vecheto Syndico stimulante, accura-  
 ratam doctrinæ, quam circa præsen-  
 tem controversiam Facultas profiteretur,  
 explicationem jam prima Aprilis  
 die hoc anno conficere statuissent, eo,  
 ut aiebant, sine, ut in hac expositione  
*specimen & Regulam desumerent ex articu-  
 lis editis Anno 1542. contra Lutheranorum  
 errores,* hinc septendecim nominarunt  
 Magistros, qui huic labori operam da-  
 rent: Hi ergo in comitiis publicis, ad  
 quæ centum & quadraginta quatuor  
 Doctores convenerant, die undecima  
 Augusti primam partem articulorum  
 præfatæ doctrinæ exposuerunt, quam  
 etiam centum triginta septem Doctores  
 approbarunt, quo facto S. Facultatis  
 nomine hos articulos typis mandari,  
 & publici juris fieri præceperunt. Erant  
 autem primæ partis articuli sequentes:

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1716.

*Prem. Part.  
 des art. de  
 Doctrin. de  
 la S. Facult.  
 de Paris p. 3.*

„Quod olim Theologorum Parisien-  
 „sium Ordo in orthodoxæ Doctrinæ ex-  
 „positione ac declaratione præstitit,  
 „orbe Christiano applaudente, editis  
 „contra Lutheranorum aliorumque No-  
 „vatorum errores articulis, id ipsum  
 „nobis præstandum duximus, ac pro-  
 „videndum hisce temporibus, quibus  
 „fides dogmatum, & Regula morum  
 „vitæque Christianæ, novis in dies  
*U* „er-





Sæc. XVIII. „erroribus impetitur, aut mala, licet  
A. C. 1716. „resecta, repullulant. „

„Etsi profanas illas Novitates, &  
„perniciosas opiniones ferme statim ab  
„que tenebris emerferunt, gravissimis  
„censuris Facultas confixit, atque ita  
„malo enascenti, ne latius serperet,  
„aut impune grassaretur, provide, quæ  
„tum in ipsa fuit, videretur occurrille,  
„non abs re tamen fore existimavimus,  
„si erroribus perpetuo succrescentibus  
„sana Doctrina dilucidius proponeretur.  
„Quo in opere exequendo fuit hoc  
„summæ religioni, fuit hæc præcipua  
„lex, ne quid infereretur novi, ne ul-  
„lum humanæ præsumptionis inve-  
„tum sacris dogmatibus admisceretur,  
„nihil quod non esset depromptum ex  
„purissimis Scripturarum, aut tradi-  
„tionis fontibus. „

„Sic etenim sancti Patres veri Chri-  
„stianorum Theologi, quod invenerunt  
„in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerunt,  
„docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc  
„filiis tradiderunt (a). Depositum custo-  
„di, quid est depositum, inquit Vincen-  
„tius Lirinensis (b), idest, quod tibi cre-  
„ditum est, non quod a te inventum, quod  
„accepisti, non quod excogitasti, rem non  
„ingenii, sed Doctrinæ, non privatæ usur-  
„pationis.

(a) S. Ang. l. 2. contra Jul. cap. 10. n. 34.

(b) Commonit.



pationis, sed publicæ traditionis, in qua non auctor esse debes, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens, . . . o Timothee, o Sacerdos, o Tractator, o Doctor, si te Divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, Doctrina . . . intelligatur, te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur, eadem tamen, quæ didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

„Quo & frequens illa in scripturis  
„Admonitio (c): dices Prophetantibus de corde suo: audite verbum Domini, hæc dicit Dominus: væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum.

„Licet inter articulos eos præsertim, qui spectant ad mores, nonnulli sint, quos divina fide certos asserere non possumus, nec debemus, in ipsiis tamen condendis regula fidei ab Apostolis tradita servata est (d): tenendum quod bonum est, ab omni specie mala abstinendum (e). In negotio salutis, nefas est, certis incerta præponere, atque adeo sententias, quæ scripturæ, quæ dictis sanctorum Patrum magis consonant, quæ bonis & Christianis moribus con-

U 2

„du-

(c) Ezech. 15. v. 2. &c.

(d) 1. Thess. 5. 21. & 22.

(e) S. Aug. l. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 3. n. 4.



Sæc. XVIII „ducunt magis, feligendas censuimus,  
A. C. 1716. „laxiores vero opiniones, quibus  
 „salutis, quam suprema veritas Chri-  
 „stus arctam esse declaravit, in per-  
 „niciem animarum dilatatur, seu veritas  
 „subvertitur, omnino respuestas.,

„Hæc est Theologorum Parisien-  
 „sium Doctrinæ summa quædam, ad co-  
 „jus declarationem nos compulerunt,  
 „tum exempla Majorum, tum ratio  
 „temporis, quæ postulat, *ut obstruat*  
 „*os loquentium iniqua*, tum potissimum  
 „gravissima Cleri Gallicani in Comitibus  
 „generalibus ad id munus suscipiendum  
 „adhortatio & publica omnium ferme  
 „ordinum vota.,

„Quam quidem doctrinam omnibus  
 „fidelibus proponendam censuimus, &  
 „ab iis acceptum iri speramus, in hanc  
 „addiscendam præsertim sacræ Theolo-  
 „giæ Candidati incumbentes, aliena  
 „& peregrina dogmata (a). *Profana*  
*vocum novitates & oppositiones falsi nomi-*  
*nis Doctrinæ devitabunt*, memores im-  
 „primis horum Apostoli verborum (b)  
*si quis non acquiescit sanis sermonibus Do-*  
*mini nostri Jesu Christi, & ei, quæ se-*  
*cundum pietatem est, Doctrinæ: superbi-*  
*est, nihil sciens, sed languens circa quæstio-*

(a) 1. Tim. 6. 26.

(b) 1. Tim. 6. 3. 4. 5.



nes & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

„Cæterum confidentes laborem nostrum non fore inanem in Domino, non cessabimus, pro vobis orantes, & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia, & intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem Mysterii Dei Patris, & Christi Jesu: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi (c).

His præmissis exponebant suæ doctrinæ articulos, & quidem

### *De actibus humanis.*

- I. Regulæ morum sunt lex & conscientia, adeo, ut quæ contra legem vel conscientiam fiunt, peccata sint.
- II. Doctrina morum ex puris S. Scripturæ ac Traditionis tum Divinæ tum Ecclesiasticæ fontibus potissimum depromenda est.
- III. Perniciose errant, qui

U 3

(c) I. Cor. 15. 58. Coloss. 1. 9. 10.



Sæc. XVIII qui afferunt, doctrinam fidei a veteribus quidem, morum vero doctrinam a recentioribus magis esse repetendam.

A. C. 1716.

IV. Ad merendum vel demerendum in statu Naturæ lapsæ non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate proprie dicta.

V. Actus humani ad Deum tamquam ad finem ultimum non solum interpretative, sed etiam Actu, virtualiter ex præcepto debent referri.

VI. In rebus ad salutem pertinentibus nefas est certis incerta præcipere.

VII. Inter opinioniones æque probabiles, ubi de præcepto agitur, tutior pars eligenda.

VIII. Non licet agere juxta sententiam minus probabilem relicta probabiliori, nisi ea, quæ est minus probabilis, sit tutior.

IX. Peccat, qui agit ex probabilitate extrinseca, seu ex sententia unius aut multorum auctorum, quam ipse fallax aut minus probabilem existimat.

### *De peccatis.*

X. Peccatum Philosophicum, seu Actus humanus rectæ rationi dissentaneus, quo Deus non offendatur, sed tantummodo nocens & perniciosum commentum est.



XI. Detestandus error est asserere Sæc. XVIII.  
 peccatum, quantumvis grave, in eo, qui A. C. 1716.  
 vel Deum ignorat, vel de Deo actu  
 non cogitat, vel Conscientiæ stimulos  
 non patitur, aut non advertit ad mali-  
 tiam peccati, non esse offensam Dei,  
 neque mortale peccatum æterna pœna  
 dignum.

XII. Quoties pravos concupiscen-  
 tiæ motus insurgere animadvertit ra-  
 tio, illico voluntas tenetur iis ob-  
 sistere.

XIII. Si vel momento temporis  
 dominatur cupiditas, consentiente  
 scilicet voluntate, peccatum committi-  
 tur.

XIV. In morosis cogitationibus  
 de rebus illicitis malitia peccati non  
 tam ex diuturnitate, quam ex delibe-  
 rato voluntatis consensu æstimanda est.

*De legibus.*

XV. Lex æterna est ratio divina seu  
 voluntas Dei naturalem rerum Ordi-  
 nem servari jubens, perturbari vetans.

XVI. A lege æterna cæteræ leges  
 habent, ut jubeant vel vetent, secun-  
 dum quod illa incommutabili veritate  
 præceperit.

XVII. A lege naturali, utpote quæ  
 fit immutabilis, & invariabilis, nulla  
 datur dispensatio proprie dicta.

U 4

XVIII.



Sæc. XVIII. XVIII. Lex vetus, licet iusta & a  
 A. C. 1716. Deo condita, per mortem Christi antiquata est propter infirmitatem & inutilitatem.

XIX. Quicumque ante Christum tempore legis Naturæ, vel Legis Mosaicæ gratiam, iustitiam, aut salutem adepti sunt, neque per vim naturæ neque virtute fæderis Mosaici, aut ex operibus legis, sed ex fide in unum Mediatorem eas consecuti sunt.

XX. Spiritus legis judaicæ non fuit spiritus adoptionis filiorum, sed servitutis. Duorum Testamentorum brevissima & apertissima differentia, timor & amor.

XXI. Legibus potestatum sive Ecclesiasticarum sive Civilium tenetur quisque obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

XXII. Lex humana non obligat, nisi ubi juxta Regionum consuetudinem & receptos mores fuerit promulgata.

XXIII. Lex humana actus externos directe præcipit, internos vero saltem indirecte.

XXIV. Non licet a lege dispensare sine iusta causa: ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas communis provocat, laudabilis: ubi nihil horum est, non est fidelis dispensatio, sed dissipatio.

XXV.



XXV. Nulla consuetudo derogare potest legi Naturali aut Divinæ positivæ, consuetudo rationabilis, & legitime præscripta legem humanam abolere potest, imo vim legis aliquando obtinere.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

XXVI. Ignorantia sive juris, sive facti, si sit revera invincibilis excusat a peccato.

XXVII. Certum est non dari ignorantiam invincibilem circa generalia juris naturalis principia, neque circa Decalogi præcepta, neque etiam circa conclusiones saltem ex iis proxime deducendas.

## De virtutibus Theologicis.

### *De Fide.*

XXVIII. Evidens est ex miraculis, prophetiis, & aliis motivis credibilitatis religionem Christianam solam esse veram.

XXIX. Erroneum est & Sacris literis contrarium asserere, ante adventum Christi extra gentem judaciam extitisse nationes, in quibus verus & publicus Dei cultus viguerit.

XXX. Omnem Religionis sensum evertunt, & humanæ præsumptioni subjiciunt fidei Majestatem, qui docent nihil de Mysteriis credi oportere, nisi quod rationi naturali evidens est.

U 5

XXXI.



Sæc. XVIII. XXXI. Perniciosus est error doctrinæ, eos, qui ab Ecclesia Catholica schismate aut hæresi separati sunt, salutem æternam posse obtinere.

XXXII. Assensus fidei certa Dei nititur revelatione, quæ in sacris literis & in perpetua Traditione continetur.

XXXIII. in Ecclesia Catholica magno opere curandum est, ut id teneatur, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est, ut antiquitatem, universitatem, consensum sequamur.

XXXIV. Nullæ fiunt novæ in Ecclesia revelationes, quæ ad fidem Catholicam pertineant.

XXXV. Ob enascentes errores Ecclesia suis definitionibus non condit novos Articulos fidei, sed antiquam & perpetuam Doctrinam explicatius aliquando & dilucidius proponit.

XXXVI. In quæstionibus Theologicis, quæ permittuntur scholarum libertati, anteponendæ sunt opiniones, quæ vel sacris literis, vel traditioni magis consentaneæ sunt.

XXXVII. Fides in Deum remuneratorem quovis tempore, atque etiam in Mediatorem post Adæ peccatum ad justitiam & salutem consequendam necessaria fuit.

XXXVIII



XXXVIII. In nova lege necessaria Sæc. XVIII. A. C. 1716.  
 est ad salutem necessitate mediæ fides explicita sanctissimæ Trinitatis, Incarnacionis, Redemptionis per mortem Christi, Resurrectionis ejus, & Remuneracionis æternæ: necessitate vero præcepti fides Articulorum symboli Apostolici saltem quoad substantiam necnon cognitio Decalogi, Ecclesiæ præceptorum, Orationis Dominicæ, Sacramentorum, quæ cuique suscipienda sint, & eorum, quæ ad statum cujusque pertinent.

XXXIX. Graviter peccat, & violatæ fidei reus est, qui vel superstitiosis gentilium ritibus, vel prophanis hæreticorum conventiculis communicat.

XL. Fidem, qua corde creditur, ore & factis profiteri non merum consilium est, sed divinum præceptum.

XLI. Qui a potestate publica de religione sua interrogatus fuerit, fidem sub reatu peccati mortalis tenetur confiteri, & quoties ex silentio, scandalum aut damnum fidei oriretur.

*De Spe.*

XLII. Salus æterna, quæ fide per merita Christi unicuique possibilis & in justitia perseverantibus promissa creditur, spe futura & obtinenda cum fiducia expectatur per gratiam Salvatoris,

ris,



Sæc. XVIII. ris, quæ operatur velle & perficere,  
 A. C. 1716. eidem cooperando cum metu & tre-  
 more.

XLIII. Non datur in hac vita mortali  
 status perfectionis Christianæ, a quo  
 exulent timor gehennæ, & desiderium  
 remunerationis æternæ: Actus spei a  
 quolibet Christiano, quantumvis per-  
 fecto sæpius exercendus, & æternæ  
 damnationi suæ acquiescere proflus  
 nefas.

#### *De Charitate.*

XLIV. Mentibus Christianis incul-  
 candum est, ut scribit sanctus Augu-  
 stinus Lib. I. de doctri. Christi 22. hanc  
 Regulam dilectionis divinitus institu-  
 tam esse, *diliges proximum tuum sicut te-  
 ipsum, Deum vero ex toto corde, ex tota  
 anima*, ut omnes cogitationes nostras  
 & omnem vitam & omnem intellectum  
 in eum conferamus, a quo habemus,  
 & ipsa, quæ conferimus: Et cum ait,  
*toto corde, tota anima, tota mente*, nul-  
 lam vitæ nostræ partem relinquit, quæ  
 vacare debeat & quasi locum dare, ut  
 alia re velimus frui, sed quidquid aliud  
 diligendum venerit in animum, illucra-  
 piatur, quo totus dilectionis impetus  
 currit.

XLV. Præceptum amoris Dei spe-  
 ciale est, & a cæteris distinctum, ei-  
 que



que non satis fit per solam aliorum observationem.

Sæc XVIII.  
A. C. 1716.

XLVI. Hæresis est & illusio perniciosissima, sentire statum esse, in quo sub obtentu cujusdam divini amoris, qui fit proprius vitæ, quam unitivam vocant, non debeat quis curare observationem Mandatorum Dei & Ecclesiæ, Sacramentorum perceptionem, orationem vocalem, jejunia, & alias carnis macerationes.

XLVII. Christianus toto vitæ decursu tenetur frequenter elicere actus fidei, spei & charitatis vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.

XLVIII. Non satis fit præcepto de dilectione proximi per solos actus externos, sed præterea tenemur eum diligere actu interno charitatis.

XLIX. Injuriarum condonatio & dilectio inimicorum non commendatur tantum, ut quid perfectius & per modum consilii, sed tanquam charitatis officium ad obtinendam vitam æternam necessarium præcipitur.

L. Extat in Evangelio præceptum correctionis fraternæ, quæ fieri debet secundum leges a Christo & ab Ecclesia præscriptas.

LI. Elemosynam in communi necessitate pauperum, ex superfluo, in extrema imo & gravi etiam ex necessariis

ero-



Sæc. XVIII. erogare, non consilii tantum, sed &  
 A.C. 1716. præcepti est.

LII. Evangelicum de Elemosyna præceptum evertunt, qui asserunt, in divitibus atque etiam in Principibus, vix superfluum reperiri, atque ideo vix illos ad Elemosynam dandam teneri.

## De præceptis decalogi.

### *Primum præceptum.*

LIII. Cultus patriæ, qui est proprie divinitati debita servitus, soli Deo vero exhibendus est.

LIV. Idololatriæ reus est, qui idolis aut cuicumque rei creatæ exteriori patriæ cultum exhibet, nec ulla interna ad verum Deum intentionis directione excusari potest.

LV. Deiparam & Sanctos in cælis cum Christo regnantes invocare tanquam intercessores apud Deum per merita Christi, bonum & utile est, nec ejusmodi invocatio sine errore damnari potest.

LVI. Sanctos honoramus & colimus eo cultu dilectionis & Societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei: sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata.

LVII. Sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium corpora, quæ



quæ viva membra fuerunt Christi, & <sup>Sæc. XVIII.</sup> templum Spiritus sancti, ab ipso ad <sup>A. C. 1716.</sup> æternam vitam suscitanda & glorificanda, fidelium veneratione digna sunt.

LVIII. In sacris Christi & Sanctorum Imaginibus nulla est divinitas aut virtus, propter quam sint colendæ. Coram Imaginibus Christum adoramus, & sanctos veneramur; illasque honoramus propter prototypa, quorum nobis memoriam exhibent.

*Præceptum secundum.*

LIX. Etsi jusjurandum bonum sit & actus Religionis, ejus tamen frequentior usus minime tolerandus est, quod ut rectum sit, fieri debet *in justitia* ut non promittatur, quod nisi justum & honestum: *in veritate*, ut non asseratur nisi verum & certis argumentis compertum: *in judicio*, ut non nisi ex necessitate juretur.

LX. Errant, qui asserunt eum, qui jurat sine animo jurandi, aut sine intentione se obligandi, non pejerare, nec jurisjurandi religione obstringi.

LXI. Reus est perjurii, qui jurat cum æquivocationibus & restrictionibus ad eludendam vim juramenti.

*Tertium*



Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

*Tertium præceptum.*

LXII. Quod speciali Dei cultui certa tempora consecrentur, juris est naturalis & divini. Diei Dominicæ observatio in memoriam & cultum Resurrectionis Christi est Traditionis Apostolicæ.

LXIII. Diebus Dominicis & Festivis ab omni opere servili abstinendum, ut Fideles liberius valeant ire ad Ecclesiam, Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, sacrificio interesse, memoriis Sanctorum communicare, & loquiis divinis intendere, lectioni scripturæ sacræ operam dare & Elemosinam indigentibus ministrare.

*Quartum præceptum.*

LXIV. Qui actu deliberato mortem parentis optat, licet eam non optet, ut malum parentis, sed ut bonum cupientis, cui obventura est hæreditas, Parricidii coram Deo reus est.

LXV. Regibus aut aliis summis potestatibus tenentur subditi honorem & obsequium impendere, tributa solvere, fidelitatem servare: nec possunt adversus illos sub quocunque obtentu insidias struere, turbas vel seditiones movere, aut cum hostibus sine gravissimo perduellionis crimine societatem inire.

LXVI



LXVI. Execranda est & hæretica hæc Sæc. XVIII.  
 Propositio a Generali Concilio Constan- A. C. 1716.  
 tiensi jam pridem damnata: *Quilibet*  
*tyrannus potest & debet licite & meritorie*  
*occidi* per quemcunque Vasalum suum  
 vel subditum etiam per clanculares in-  
 fidias, & subtiles blanditias vel adu-  
 lationes, non obstante quocumque præ-  
 stito juramento vel confœderatione fa-  
 ctis cum eo, non expectata sententia,  
 vel mandato judicis cujuscumque.

*Quintum præceptum.*

LXVII. Quisquis Calumniato-  
 rem, falsum Accusatorem, iniquum  
 judicem, uxorem in adulterio depre-  
 hensam, aut quemvis alium sive ob inju-  
 rias illatas, sive ob honoris aut rerum  
 temporalium defensionem, aut alia qua-  
 cunque de causa occiderit privata  
 autoritate, homicidii reus est.

LXVIII. Cum periculum vitæ ab ag-  
 gressore imminet, licitum est, seipsum  
 defendere, modo id fiat sine intentione  
 aggressorem occidendi.

LXIX. Abortum procurare quacun-  
 que de causa, sive fætus sit animatus,  
 sive inanimis, homicidii scelus est.

LXX. Jure naturali & divino huma-  
 noque prohibitum est, ne quis duellum  
 offerat, acceptetve, ut honori consu-  
 Hist. Eccles. Tom. LXIX. X lat,



Sæc. XVIII lat, aut timiditatis notam evitet, aut  
 A. C. 1716. ulla quacunque de caussa.

*Sextum præceptum.*

LXXI. Fornicatio simplex per se mala est, jure naturali, & divino prohibita ac peccatum mortale.

LXXII. Alterius uxorem, etiam consentiente marito, polluere, adulterii crimen est.

LXXIII. Comœdiæ, aliaque hujusmodi spectacula merito vetita sunt, inique interesse peccatum est: idem judicandum de choreis, quæ vulgo *Ballets* vocantur: cætera vero saltationum genera, periculosa.

LXXIV. Comœdi, Histriones, Mimici, Scenici, alique id genus homines, qui profano amori, ceterisque pravis animi cupiditatibus excitandis aut fovendis inserviunt, ab omni sacrorum participatione merito arcentur.

LXXV. Scandali & gravis contra pudicitiam delicti reæ sunt mulieres, quæ nudato pectore & immodesto habitu sese conspiciendas exhibent præbentque incentiva vitiorum.

LXXVI. Picturæ & Imagines obscenæ, libri amatorii, sermones impudici, turpes cantilenæ tanquam incitamenta libidinis, ab omni Christianorum usu debent penitus amoveri.

LXXVII



LXXVII. Cum ex Apostolo morte Sæc. XVIII.  
 digni sint non solum, qui scelera faciunt, A. C. 1716.  
 sed etiam qui ea facientibus consen-  
 tiunt, omnes cooperantes; aut adju-  
 vantes, etiamsi hæc ea intentione præ-  
 sent, ut notabile detrimentum evitent;  
 delictorum lethalium rei sunt.

LXXVIII. Ebrietas est ex natura sua  
 peccatum mortale; in eam incurritur,  
 dum voluntaria potatione rationis lu-  
 men obruitur; vel etiam notabiliter  
 perturbatur.

LXXIX. Comedere vel bibere aut  
 alias sensuum delectationes quærere  
 propter voluptatem, peccatum est.

*Septimum præceptum.*

LXXX. Rem alienam furto surri-  
 pere, etiam in gravi necessitate, pec-  
 catum est.

LXXXI. Furti, rapinæ, pèculatus;  
 & aliorum contra justitiam delictorum  
 rei, scilicet autores, jussores, parti-  
 cipes, receptatores, suasores, non im-  
 pedientes; si eis ex officio impedire  
 incumbat, & quicumque consensu, ap-  
 probatione, vel adulatione aut alia  
 quavis ratione injustitiæ cooperantur,  
 obligantur ad restitutionem; eo servato  
 ordine, ut qui rem alienam detinent,  
 primario, deinde jussores; tum ceteri

X 2



Sæc. XVIII. in solidum faciendæ restitutionis lege  
A. C. 1716. teneantur.

LXXXII. Furti rei sunt famuli, qui  
heris suis bona surripiunt ad compen-  
sandam operam, quam mercede, de qua  
conventum est, majorem judicant.

LXXXIII. Tenetur sub pœna peccati  
mortalis ad restitutionem, qui notabi-  
lem aliquam summam per plura furta,  
quantumvis modica, surripuerit.

LXXXIV. Justitia contractuum em-  
ptionis & venditionis posita est in æ-  
qualitate pretii cum rei valore; que  
quidem æqualitas cum violatur, con-  
trahitur obligatio restitutionis.

LXXXV. Valor cujusque rei, si non  
fit a lege vel auctoritate Principis aut  
Magistratus definitus, non est a cujus-  
vis arbitrio repetendus, sed ex com-  
muni prudentum & proborum usu pro  
variis locorum ac temporum circum-  
stantiis æstimandus. Qui rei pretium  
minuit præcise ob vendentis necessita-  
tem, vel qui pretium auget præcise ob  
ementis necessitatem aut commodum,  
peccat, & restituere tenetur.

LXXXVI. Incantatores aliique ejus-  
modi deceptores, Magi, Astrologiam  
Judiciariam exercentes, Arioli, Con-  
jectores, Lenones, & alii ex pessimis  
hujusmodi artibus lucrum captantes,  
jure servare non possunt bona his illicitis  
viis acquisita.

LXXXVII



LXXXVII. Nunquam licet judici-<sup>Sæc. XVIII,</sup>  
 bus accipere munera a litigantibus, & A. C. 1716.  
 si quæ acceperint, tenentur lege re-  
 stitutionis.

LXXXVIII. Magistratum & viro-  
 rum publicis rebus gerendis præfecto-  
 rum famuli, Secretarii, aliique fami-  
 liares domestici, qui pecuniam a clien-  
 tibus exigunt pro præstando vel pro  
 copia præstandi quod juris est, gravi-  
 ter peccant, & tenentur ad restitutio-  
 nem, ad quam & ipsi tenentur heri,  
 qui huic suorum injustitiæ Auctoritate,  
 nutu vel assensu connivent.

LXXXIX. Qui gratia & auctoritate  
 qua pollent apud Magnates, Magistra-  
 tus, aliosve abutuntur ad quæstum,  
 ut aliis dignitates, munia, honoris  
 gradus vel aliqua officia procurent,  
 peccant, & restitutionis lege tenentur.

XC. Si bonorum deperditarum Do-  
 minus non innotuerit post diligentem  
 inquisitionem, ea sunt eroganda pau-  
 peribus, aut in alios pios usus conver-  
 tenda; nec inventori nisi titulo pau-  
 pertatis vindicanda, bona vero quæ  
 habentur pro derelictis, secundum leges  
 distribuenda.

XCI. Sive a pauperibus, quibus  
 non solum mutuo dare, & sed etiam  
 erogare sæpe præceptum est, sive a  
 divitibus aliquid supra sortem exigere



Sæc. XVIII vel intendere vi mutui ad certum in-  
A. C. 1716 certumve tempus dati, usuræ crimen  
 est, naturali, Divino & humano jure  
 prohibitum.

XCII. Peccat contra justitiam, qui  
 ex pecunia alteri tradita, aliquid ultra  
 sortem exigit; nisi vel in perpetuum  
 alienata fuerit vi contractus, vel ad  
 titulus justæ compensationis ratione  
 lucri cessantis, aut damni emergentis  
 ex bona fide, vel accedat contractus  
 legitimæ societatis.

XCIII. Qui in contractu Societatis  
*capitale*, etiamsi absque consortis culpa  
 perierit, salvum sibi fore paciscitur,  
 usuram committit sub simulato Socie-  
 tatis nomine.

XCIV. Vi trium (ut ajunt) contra-  
 ctuum, scilicet Societatis, assecuratio-  
 nis summæ principalis & venditionis  
 majoris lucri incerti pro minori quod  
 certum sit, lucrum exigere vel intere-  
 dere, usura est.

XCV. Obligatio ad restituenda bona  
 ex fænore comparata transit ad usura-  
 riorum hæredes.

XCVI. Peccat, quisquis ludis per le-  
 ges vetitis dat operam, item qui aliis  
 etiam ludis nimium infumit temporis,  
 vel lucrum principaliter intendit, vel  
 notabilem pecuniæ summam ludo ap-  
 ponit, peccat; & eo gravius, quo vel  
 est



est jactura temporis diuturnior, vel cupiditas lucri ardentior, vel summa pecuniae ludo apposita major.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

XCVII. Gravissime peccant contra charitatem, & justitiam, qui libellos, unde aliorum fama notabiliter læditur, componunt, aut iis in vulgus spargendis allaborant, tenenturque in solidum famam aliorum inique violatam restituere, atque etiam amovere scandalum, quod ex his libellis adversus Rempubicam & religionem redundat.

*Octavum præceptum.*

XCVIII. Criminis rei a legitimo iudice interrogati de facinore & complicibus secundum formam juris, tenentur veritatem confiteri.

XCIX. Qui schedulam, aut quodcumque aliud instrumentum amiserit, cujus defectu lite foret evincendus, falsum conficere, aut supponere non potest absque peccato.

C. Omne Mendacium, etiam illud quod officiosum appellatur, peccatum est.

CI. Usus æquivocationum & restrictionum mentalium, ut falsum insinuetur, mendacium est.

CII. Falsum est & impium dicere Prophetas, Angelos & Christum ipsum æquivocationibus & restrictionibus mentalibus usos fuisse.



Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

*De præceptis Ecclesiæ.*

CIII. Leges Ecclesiasticæ de abstinencia, de jejunio, de audiendo sacro, festivisque diebus observandis, & aliis Religionis officiis, obligant in Conscientia, etiam secluso contemptu & scandalo.

CIV. Jejunii Ecclesiastici lex in his potissimum consistit, in abstinencia a certo ciborum genere, in unica commestione seu refectione, quæ non fit ante horam ab Ecclesia determinatam.

CV. Commestiunculam, quæ nunquam fere ab omnibus additur, quæque de sola indulgentia est, talem esse oportet, quæ nec qualitate cibi vertatur in cænam, nec quantitate tollat rationem unicæ commestionis, quæ jejunii essentialis Pars est.

CVI. Liqueorum potu extra commestionis horam, quem non necessitas provocat, læditur jejunii lex, atque improprie jejunii finis a lege intentus.

*De Beneficiis & Simonia.*

CVII. Exigere, dare, accipere, aut promittere aliquid temporale pro Beneficio Ecclesiastico obtinendo, sive per modum pretii, sive per modum motivi, aut gratuitæ compensationis, simoniæ crimen est.

CVIII.



CVIII. Qui munus aliquod aut officium data pecunia aut alia re pretio æstimabili sibi comparat, ea intentione, ut Beneficia obtineat, simoniacus est. Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

CIX. Sibi aut aliis quærere Beneficium Ecclesiasticum obsequiis, adulationibus, aut alio ambitus genere prorsus illicitum est.

CX. Qui officia Divina celebrant, aut horis Canonicis interfunt propter retributiones tanquam motivum principale, simoniæ labem incurrunt.

CXI. Simonix reus est, qui sub annua pensione beneficium alteri resignat, facta conventionem expressa aut tacita, ut pensio illa redimatur.

CXII. Plura beneficia Ecclesiastica, ubi unum ad honestam sustentationem suffecerit, cuiquam conferri, aut a quoquam teneri, jure naturali, & positivo prohibetur, quod de quibusvis personis, aut de quibuscunque beneficiis sive in titulum sive in commendam intelligendum est. Idem dicendum de pensionibus Ecclesiasticis.

CXIII. Honestam Clericorum sustentationem definierunt sacri Canones nempe modestam suppellectilem, frugalem victum, & eam in omnibus simplicitatem, quæ vanitatum contemptum præ-



Sæc. XVIII. se ferat, sitque modestiæ & humilitatis  
 A. C. 1716. exemplum.

CXIV. Graviter peccat, qui Beneficium dat alicui Consanguineo aut affinitate Consanguinitatis, aut affinitatis vel alio affectu humano.

CXV. Beneficia Ecclesiastica semper conferenda sunt dignioribus, seu ad illa magis idoneis, præsertim ubi annexa est animarum cura, sive in concursu sive extra concursum: qui secus fecerint, peccati gravis rei sunt.

CXVI. Qui pro se postulat Beneficium, cui est annexa animarum cura, ex ipsa præsumptione redditur indignus.

CXVII. Episcopi & Ecclesiarum Parochialium Rectores jure naturali, Divino & Ecclesiastico ad personalem in suis Ecclesiis residentiam adstringuntur.

CXVIII. Residentia non debet esse otiosa, sed exemplo, conversatione, verbo prædicationis, fructu Orationis, sacramentorum administratione, & Pastoralis Officii sollicitudine operosa atque utilis.

CXIX. Episcoporum translationes à sacris Canonibus prohibitiæ sunt, nec fieri debent nisi id exigat necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas.

CXX. Redituum Ecclesiasticorum Clerici non sunt Domini, sed dispensatores. CXXI.



CXXI. Peccati lethalis rei sunt, & <sup>Sæc. XVIII.</sup> restitutionis lege tenentur, qui Eccle- <sup>A. C. 1716.</sup> siæ reditus vel in ditandis Consanguineis vel in luxu, conviviis, aleis, aut in aliis profanis usibus insument.

CXXII. Obligatio Clericorum, qui Beneficia duntaxat obtinent, quæ simplicium nomine appellantur, non sola continetur horarum canonicarum recitatione, sed ii insuper tenentur leges foundationum exequi, onera beneficii sustinere, jura defendere, & pro modo ac Facultate operam suam in Ecclesiæ utilitatem impendere.

CXXIII. Beneficiati, qui horas canonicas non recitant, tenentur ad restitutionem, etiam ante sententiam judicis.

*De Votis.*

CXXIV. Vota non obligant, nisi fiant cum plena libertate, & sufficienti deliberatione.

CXXV. Dispensatio aut commutatio in votis auctoritate Ecclesiæ concedi potest, ubi id, de quo votum fuit, evasit aut noxium, aut inutile, aut majoris boni impedimentum.

CXXVI. Vota solemnia & Professio Monastica sunt actus Religionis, eaque, ubi studiosè servantur, ad fidei & pietatis ædificationem plurimum valent.

CXXVII.



Sæc. XVIII. CXXVII. Gravissimi peccati rei sunt  
A. C. 1716. parentes, qui ut familiam exonent  
 aut e suis aliquos opibus augeant, filios aut filias metu, promissis, blanditiis aut personarum interpositarum suasionibus, aut aliis artibus inducunt ad suscipiendum Religionis habitum, & emittendam professionem.

CXXVIII. Salutis periculum incurret qui ingrediuntur in Monasteria ubi vix ulla viget observantia disciplinæ regularis.

CXXIX. Qui sine legitima causa ex strictiori observantia, ad mitiorem transierunt, gravissime peccant.

CXXX. Monachus & quivis vitæ regularem professus non potest tuta conscientia extra claustra aut religiosa loca habitare, nec deposito habitu regulari inter sæculares conversari, nisi lex naturæ, vel Ecclesiæ utilitas id postulet.

CXXXI. Regulares tenentur religiose observare, quæ attinent ad votorum commissorum substantiam, necnon ad communem vitam, & vestitum, non obstante quavis consuetudine contraria.

CXXXII. Nulli Regulari licet beneficium aliquod cujuscumque qualitatis sit, tanquam proprium, suo vel conventus, vel quasi conventus nomine possidere vel tenere.

ARTI-



## ARTICULI.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1716.

*De suprema Regum auctoritate, de-  
que ipsorum & Regni securitate,  
atque incolumitate.*

I. Regia potestas est a Deo imme-  
diatè, & ab eo solo dependet.

II. Reges Christianissimi nullum om-  
nino agnoscunt nec habent in temporali-  
bus superiorem præter Deum.

III. Neque summus Pontifex, neque  
Ecclesia ullam habent directam aut in-  
directam auctoritatem in temporalia  
Regum, neque horum subditos ob  
quamcunque causam possunt absolvere  
a sacramento fidelitatis.

IV. Regibus aut aliis summis pote-  
statibus tenentur subditi honorem &  
obsequium impendere, ac tributa sol-  
vere, nec possunt adversus eos sub quo-  
cumque prætextu insidias struere, tur-  
bas vel seditiones movere, aut cum  
hostibus sine gravissimo perduellionis  
crimine societatem inire, nedum ad-  
versus eorum vitam & incolumitatem  
(quod dictu horrendum) quidquam mo-  
liri aut meditari.

V. Subditi sub nullo obtentu excom-  
municari possunt ob debitum in suos Re-  
ges obsequium.

VI.



Sæc. XVIII. VI. Reges, Principes, Magistratus  
 A. C. 1716. non possunt excommunicari propter  
 suæ Jurisdictionis exercitium.

Hos articulos Facultas die prima  
 Decembris in publicis comitiis prælegit  
 & cuilibet Doctori eorum transumptum  
 tradi jussit, ut suam quisque desuper  
 sententiam diceret: tandem anno se-  
 quenti die decima quinta julii eadem  
 Facultas ex consensu centum viginti  
 octo Magistrorum hos articulos pro suis  
 agnovit, & die secunda Augusti typis  
 mandatos confirmavit.

## §. LIX.

*Literarum Apostolicarum fata & successus.*

*Dorsann.*  
*l. c.*

Postquam die sexta Decembris Episcopus  
 stola S. Collegii ad Cardinalem  
 Noaillium unacum literis ad Episcopos  
 Acceptantes & ad Facultatem Parisien-  
 nam in Gallis advenerant, Quesnellii  
 fautores toti in eo erant, ut harum  
 successum, atque expeditionem præ-  
 pedirent: Horum ergo impulsu die de-  
 cima sexta ejusdem Mensis præprimis  
 Parisiense Parlamentum, & ad ejus  
 exemplum illud Normanicæ, Burgun-  
 dicum, Metense, Tolosanum, Britan-  
 nicum, aliaque Parlamenta, editis de-  
 cretis prohibuerunt, ne Episcopi ullas  
 Potestates